[illegible] - Hymnus in Jovem - 1829.

INDEX
SCHOLARUM

IN

GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO

A PASCHATE 1829 USQUE AD PASCHA 1830

HABENDARUM



EDITUS

A CAROLO FRIDERICO HIPP

AA. LL. MAGISTRO ET MATHEMATUM PROFESSORE
IN GYMNASIO ET JOANNEO, H. A. GYMNASII RECTORE.

CLEANTHIS STOICI HYMNUS IN JOVEM AUCTORI SUO VINDICATUS AD EIUSQUE DOCTRINAM ENARRATUS A CHRISTIANO PETERSENIO, PHILOS. D.

HAMBURGI, 1829.

TYPIS JOANNIS AUGUSTI MEISSNERI, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET JOANNEI TYPOGRAPHI.

Civibus Gymnasii Sal.

Nolite mirari, Cives, orationem nostram deflectere paullisper a recepta consuetudine, breviter et summatim indicendi futuras Gymnasii scholas. Major est enim rerum dicendarum copia, quam quae paucis, ut solet, expediri possit.

Anno vertente quid memoratu dignum evenerit, si quaeritis, fuit ille quidem laetabilis frequentia discentium eorumque studiis, sed luctuosus idem immatura morte V. Cl. *Hartmanni*, Historiarum Professoris Publici. Multis ille nominibus lugendus occidit, curarum nostrarum socius et acerrimus Gymnasii vindex. Sancte colitote, Cives, talis viri memoriam, quo neminem facile inveneritis neque benevolentiorem in discipulos, neque paratiorem ad omne genus officii. Suos imbuere studuit saluberrimis doctrinae, quam profitebatur, praeceptis: omnibus praeivit unicum fidei et pietatis exemplum.

Exstincto illo, *Magistratuum auctoritas* ita succurrit rebus Gymnasii, ut dubium sit, magis miremur prolixam eorum

gratificandi voluntatem, an magnitudinem celeritatemque consilii in amplificandis publicae institutionis finibus. En vero, quid fieri placuerit.

Auxerunt *primum* tres reliqui *Gymnasii professores* suarum quisque scholarum numerum, nullo provocati monitore; *deinde*, quo acrius incenderentur communia literarum studia, publice *evocati sunt ex Joanneo Professores* quatuor, conjunctissimi collegae nostri, qui, in summis occupationibus suis, quanto labore et studio caverint, ne quid detrimenti res Gymnasii literaria caperet, inter omnes constat. Accessit *denique voluntaria opera Virorum quorundam*, qui singulari praestantis doctrinae et studiosae juventutis amore incensi, docentium partes ultro suscepere. Tanta vis erat hominum bene merentium; tanta quasi sementis bonarum literarum in nostro agello.

Grati laetique agnoscamus, Cives, magnitudinem *publicae liberalitatis:* cujus in laudes praedicationesque quo minus effundamur, ipsa obstat verecundia, cujus veniam facile nos consecuturos speramus. Ut autem de *mea meaque disciplina* dicam, quod par est, sic habetote: Quod literarum magistris maxime optabile videri solet, ut praeteriti temporis reminiscentes erigat et recreet cogitatio officii nunquam intermissi et conscientia operae haud inutiliter navatae: id contigit et mihi, annuum prope studiorum gymnasticorum curriculum

rursus emenso. Quidquid enim ex *mathesi* vel *pura*, quam vocant, vel *applicata* publice tradere cogitaram, illud ut peragerem, nec animo defuit alacritas nec corpori firmitas. Tantum est, quod divinae benignitati debeo.

Quod autem *studiosam juventutem* plurimum commendat, omnes, qui nostris lectionibus vacabant, discendi diligentiam et morum integritatem omnibus, quod sciam, magistris ita approbarunt, ut nullam unquam querendi causam haberemus. Fuerunt etiam, qui egregia eaque latina *domesticae industriae* specimina ederent, veluti F. H. *Stannius* in Entomologicis, F. G. *Comien* et D. T. *Kluth* in Botanicis, G. H. A. *Hellberg* in mathematicis. Inspicienda patent haec specimina omnium, qui talia curant, oculis, jucundissima illa peritissimo cuique. Plura ejusdem generis ne addam, suadet et temporis et officii ratio. Sed gestit animus proferre talia: quae nisi docentium animos nonnunquam oblectarent, nisi alia quaedam haud minus grata et honorifica accederent, quis, quaeso, fortiter laturus esset munerum molestias tantosque labores?

Sed accedamus ad alia, quae vestram, Cives, utilitatem propius attingunt, nec reticenda videntur *Venerandis Magistratibus nostris*. Hoc tempore, quo res scholastica omnis novam induere coepit faciem, ea, quae in Gymnasio adhuc tradebantur, non amplius sufficiunt. Desideratur enim, et

maximo jure desideratur *Geographiae* studium, *mathematicae* nimirum et *physicae*, quam nescire indignum est homine liberaliter educato. Quis enim est, sive theologiae studio, sive medicinae factitandae, sive causarum patrocinio, sive juventuti instituendae sit destinatus, quem non pudeat peregrinari quasi in ipsis aedibus suis? Ipsa pietas adversus Deum impellit cogitque ad cognoscendam mundi terraeque fabricam, quam negligere ingrati est animi in ejus auctorem,

Discamus oportet, amici, nec cessemus in studio artis et naturae, quod sine summa industria perfici nequit! Magna sunt et in dies majora, quae a literarum studiosis exspectat nostra aetas: ne igitur frustremur spem de nobis conceptam! Me vero non deterret a docendae illius Geographiae negotio difficultas rei aut magnitudo laboris, quippe qui in ipso olim Joanneo ejus institutionis periculum haud raro fecerim, nec aetatis inertia a re gerenda avocer.

Hujus inertiae ne nunc quidem accusari velim a vobis, Cives, quum in confectione hujus libelli alieno usus sim calamo. Nostis enim, quotiescunque per occasiones scholasticas aliquid scribendum fuerit, meas me copiolas apposuisse lectoribus, tanquam in mensa variis dapibus onusta. Mixtum semper erat argumenti genus, tum ex arte mathematicorum, in qua nihil fictum est et commentitium, tum ex philologorum, quos magnifice

vocant, studiis, a quibus nunquam prorsus abhorrui. Sic enim fore putabam, ut neque subtilitate et tenuitate rerum quisquam a legendo deterreretur, neque erudita loquacitate et belle nugando lectores luderentur. Hoc quidem tempore habueram in animo, brevi dissertatione recensere et pertractare locos maxime memorabiles *de rebus coelestibus*, ex *Fastis* et *Metamorphosibus Ovidii* petitos*). Referti sunt enim et scatent ridiculis erroribus, eoque gravioribus, quo divinius iste vates astronomiae laudes extollere solet. *Adeo promptum est et expeditum*, in mathematicis praesertim rebus, *ut vituperare, ita laudare, quae nescias!*

Scribere vix ingresso peropportune obtigit *Commentatio in Hymnum Cleanthis*, scripta a V. Cl. *Christiano Petersen, Philosophiae Doctore*, qui annum jam Gymnasio Academico utilissimam operam praestitit, non tantum exponendis scriptoribus classicis et artis metricae principiis, sed Justiniani etiam Institutionibus grammatice et historice interpretandis, itemque crebris exercitationibus latine disputandi, argumenta variis e disciplinis petita disponendi atque elaborandi.

---

*) Notissimum est, nostra quoque memoria fuisse mathematicos, qui astronomicos veterum classicorum locos, ut *Arati, Virgilii, Ovidii* aliorumque explicarent corrigerentque. E recentioribus nominamus illustres olim Professores M. *Delambre* et Car. Br. *Mollweide;* item Viros Clarissimos J. Conr. *Schaubach*, cujus de studiis mihi decennio amplius nihil innotuisse doleo, eumque qui mihi nunc supereminet omnes, C. *Ideler*, qui (Abhandl. der Königl. Acad. d. Wiss. Berlin 1825) doctissime, ut solet, Ovidii Astronomica commentari coepit.

Contigit huic viro, quod nescio an exterorum ulli, ut, *decreto Senatus Amplissimi* d. X. Novembris anni prioris, publicum Gymnasii Auditorium ei aperiretur, ubi juventutem in bonarum artium studia incumbentem erudiret, atque ad humanitatem informaret.

Commentationem ejus quum studiose legissem, facile intellexi, literas literarumque historiam plus habituras utilitatis et decoris ex ea disputatione, quae, uberioris commentarii ope, non modo hymnum Christiano vate dignissimum vindicaret auctori suo, Zenonis disciplulo et magistro Chrysippi,*) verum etiam accuratius excuteret theologiam Stoicorum, subtilissimam illam et disserendi spinis maxime horridam.

Hanc igitur disputationem intuens non alienum duxi, doctorum hominum ingeniis, quorum auctoritas in illo genere plurimum valet, relinquere ejus fructum, mihique retinere eruditum pulverem et Nasonis errores.

---

*) *Philosophiae Chrysippeae fundamenta*, in notionum dispositione posita, e fragmentis restituit, atque ante hos duos annos edidit, conjunctissimus nobis Auctor. Meritam vero inde tulit famam, laudatus cum ab aliis censoribus publicis, tum maxime ab *Halensibus* et *Berolinensibus*, propter insignem diligentiam in principiis constituendis et subtilitatem in ducendis inde conclusionibus. (Allgem. Lit. Zeit. Num. 188. August 1827 et Berliner Jahrbücher der Kritik, December 1827.

Nec pigebit lectores, qui, quae *nova* Auctor attulerit *de Stoicorum theologia*, judicare possunt, cum enunciatis ejus conferre, quae disputarunt W. T. *Krug*, (Geschichte d. Philos. alter Zeit §. 124 et 145) itemque D. *Tiedemann* (System der stoischen Philos. pag. 109 ss. imprimisque pag. 121), viri in hoc literarum genere praestantissimi.

Cleanthis Stoici
Hymnus in Jovem auctori suo vindicatus ad eiusque doctrinam enarratus.

Quae laudes a recentioribus non minus, quam a veteribus, Cleanthi Stoico large impertiuntur, sane non ex minima parte ad hymnum referendae sunt, ab eo in Jovis laudem compositum, quo non modo singularem suam testificatus est pietatem, sed etiam in summum humanae sapientiae provectus fastigium. Quae philosophiae pars generi humano maxime salutaris est, Dei dico cognitionem, eam aptis, claris, ornatis verbis ita aperuit, ut ad divinae nostrae religionis decreta propius accessisse videatur, quam ad suum ipsius systema. At carmen hoc esse Christiani cuiusdam philosophi, ne quis sibi persuadeat, paganum esse eius auctorem, etiamsi intelligenti sola hymni verba satis demonstrant, fusius tamen docere conatus est G. C. F. Mohnike p. 130. libri: Kleanth der Stoiker. Erst. Bändch. Greifswald. 1814. Ut antiquitatis aliquod monumentum ab omni parte illustretur, etsi ante omnia de eius auctore et aetate disquisitio est instituenda, idque eo diligentius, quanto quis incertiorem reddidit

veritatem, ego tamen in praeclaris hisce Cleanthis reliquiis accurate explicandis hoc crisis genere me supersedere posse putaveram. Sed accidit, ut ab amico quodam mecum communicaretur Repertorii Lips. volumen III. anni 1819, ubi in recensenda Sebodii Bibliotheca Critica de commentatione nescio cuius K—i hoc ipsum argumentum tractante p. 417 haec proferuntur: „*Zuerst sind die Gründe zusammengestellt, warum Kleanth nicht für den Verfasser gehalten werden könne.*“ Quae verba cum rem si minus decidere, dubiam tamen reddere viderentur, animum meum Cleanthis admiratione occupatum et singulari quadam inter eius mores et libros congruentia gaudentem mira affecerunt aegritudine: at ipsa quidem commentatione perlegenda animi restituta est aequitas. Quibus enim argumentis K. non genuinum esse hymnum probasse sibi videtur, ea se invicem ita tollunt, ut inter se collata, quod antea viri docti de huius carminis origine senserunt, etiam affirment.

Hymnus ille praeclarus, quem dixi, inter Physicas legitur Iohannis Stobaei Eclogas ed. Heeren. p. 30, nomine adscripto Cleanthis, quem esse Stoicum, Zenonis discipulum, cum antea nemo dubitasset, K. noster omnino negavit. Primum argumentum, quo adductus illi carmen hoc falso adscribi credidit, in eo ponit, quod neque Diogenes Laërtius eius fecit mentionem, ceteroquin videlicet accuratissimus, neque patres ecclesiastici, quibus hymni nostri commemorandi saepius fuisset copia. Quamquam testimoniorum defectui non nimium esse tribuendum K. ipse concedit, Diogenis tamen silentio satis probatum censet, eius aetate praeclarum hoc antiquitatis monumentum nondum exstitisse; scriptorem enim putat esse Diogenem ita diligentem, ita omnia amplectentem, qui nihil praetermittere po-

tuerit. At quis Diogene minus diligens et accuratus? vel fac accuratissimus fuerit, cuius liber minus integer est servatus? Nam ut de ceteris taceam, ne Cleanthis quidem scripta, quorum multa aliunde nobis innotuerunt, enumeravit cuncta (Mohnike l. l. p. 109.). Accedit, quod ne hoc quidem pro certo affirmari potest, a Diogene Cleanthis hymnum omnino esse praetermissum, siquidem nescimus, utrum e maiore opere sit depromptus, an, quod mihi quidem vix credibile est, solus effecerit libellum sua inscriptione insignitum. Praeterea liber ille, ex quo diserte a Clemente Alexandrino (Strom. p. 404, ed. Lugdun. 1616) alii Cleanthis versus afferuntur, a Diogene non nominatur. Nonne ex hoc etiam hymnum nostrum a Stobaeo vel ab eo, quem ille secutus est, descriptum esse probabiliter ponamus? an, si hoc minus placet, e libro περὶ θεῶν, cuius notitiam servavit Diogenes? At cum poëtice illa, quam Clemens laudat, non ars poëtica, sed poëmatum collectio fuisse videatur, vel si qua fuit ars, haec auctoris carminibus fuerit pertexta necesse sit: neque Mohnikio *) assentiri potui, ποίημα περὶ τοῦ θεοῦ a Clemente citatum non diversum putanti a libro περὶ θεῶν, inter Cleanthis opera a Diogene allato, neque Menagio **), poëticen apud Diogenem sub nomine περὶ ποιήτου latere censenti, sed, ut cetera fragmenta poëtice scripta, ita hymnum quoque sua distinctum inscriptione partes fuisse suspicor poëtices illius, qua poësin e Stoicorum mente dialectices et ethices legibus obstrictam exemplis illustraverit.

Deinde Stoicum esse carminis auctorem criticus noster concedit, Stoicum vero opinatur seculi tertii vel quarti p. C. N.

*) L. l. p. 50 et 96.

**) Ad. Diog. VII. 175 cf. Mohn. p. 51 et 97.

Orphicorum aequalem, qui quidem post Diogenem vixerit. Pro argumentis, quae tempori huic ad barbariem vergenti carmen vindicent, primo epitheta afferuntur nimis accumulata, eaque e critici nostri sententia antiquioribus poëtis incognita, deinde opposita longius petita, tum solutior verborum nexus et similitudo denique, quam ei cum Orphicis intercedere contendit. Ut praetermittam dubitationem, quae de Orphicorum origine orta, ex his alius libri aetatem definiri nullo modo sinit, similitudo illa, quam K. maxime premit, est fere nulla. Nexus vero sententiarum solutior quomodo Stoicis veteribus inusitatus esse dici possit, cum eorum scripta omnino interierint, neque quo genere dicendi usi sint, satis manifestum sit, equidem sane non intelligo; imo, quocunque modo veteres Stoici verba contexuerint, in hymnum nostrum, quippe qui nullam artis regulam neglexerit, hoc opprobrium omnino non cadit. Opposita ut sint quaesitiora, id quod equidem concedere non possum, nonne eadem apud Senecam sunt frequentia? nonne ea ipsa superioris aetatis philosophum indicant? nonne ipsi antiquiores Stoici, quantum e doctrinae et librorum reliquiis judicari potest, subtilitate quadam atque miro notionum opponendarum amore tenebantur? Epitheta denique, quae in carmine nostro reperiuntur, ab exornandi ratione in Orphicis usitata omnino diversa sunt, apud Homerum vero, et in Homeridarum hymnis cum eadem, tum multo magis cumulata leguntur.

Refutatis jam argumentis, quibus adversarius ita est nixus, ut Cleanthi, Zenonis discipulo, hymnum abjudicare auderet, ad eius auctoritatem omnino infringendam, quibus in rebus sibimet ipse repugnaverit, ut ostendam, restat. Pro re sua afferre eum non puduit, quod multa apud Stobaeum nomina adscripta sunt falsa,

quamquam postea Cleanthem quendam auctorem esse concedit eumque Stoicum, neque tamen illum Zenonis discipulum, sed hominem nescio quem alium, qui p. C. N. vixerit, eodem nomine praeditum. At hoc minoris est momenti; quod vero huius poëmatis versus 9 — 11, seculo tertio vel quarto ab ipso tributi, Catullo ob oculos versati fuisse in commentariis dicuntur, hoc philologo condonari non posset: jurisconsulto, qualem K. se exhibet, hac de causa veniam sibi petenti, per me condonetur, quippe cui sit laudi vertendum, quod litteris Graecis se dederit. Vale igitur, vir mihi ignote! ignosce, quod veritati studens tibi sum adversatus! intactum te reliquissem reprehensione, nisi veritus essem, ne fama, cui justo facilius creditur, Repertorio Lipsiensi vulgata alios praejudicata opinione imbueret, nisi meum putassem, tibi huius erroris auctori, si superstes adhuc in vita versaris, veritatem persuadere.

Summam disputationis nostrae repetenti ea potissimum efferre mihi liceat argumenta, quae Cleanthis in integrum restituti possessionem ab omni tueantur iniquitate. Cur apud Stobaeum ulli fragmento falsum nomen esse adscriptum putemus, nisi repugnet eius argumentum iis, quae aliunde de eodem viro cognita habemus, nulla est causa; siquidem in plurimis locis eruditissimo huic antiquae philosophiae cultori et conservatori fidem denegare non possumus. Cleanthis igitur nomen in illius collectionibus legenti in mentem veniet Stoicus ille Chrysippi magister, alibi saepissime in eodem libro obvius; cuius decretis cum hymnus omnino congruat, eundem eius esse auctorem, nemo est, qui non jure sibi persuadeat; praesertim cum eiusdem nominis Stoicus, quantum equidem scio, alius nemini innotuerit. Neque sententiae tantum, quae in hymno

reperiuntur, Cleanthis huius ingenio et aetati conveniunt, sed ea accedunt momenta, quae, si auctoris nomen ignoraremus, ab hoc ipso Cleanthe eum esse compositum, conjectura nos augurari juberent. Etenim cum tota carminis indoles Stoicorum doctrinam significet, ex eorum numero eligendus esset poëta, cui hi versus tribui possent. Quaerenti autem, quis Stoicorum composuerit carmina, praeter illum Zenonis discipulum, nemo opinor, occurrit, qui cum poëtae nomine dignus sit, tum huiusmodi versus ab omni parte insignes sibi vindicare possit. Plura enim exstant eius fragmenta versibus bene composita, eaque hymno nostro non ab una tantum parte similia; quae etsi pauca sunt, in iis tamen ipsis non genus tantum versuum reperitur idem, hexametros dico dactylicos, sed sententiae etiam et imagines dictionesque se produnt omnino eaedem, quae in hymno nostro, alibi non frequentes. Lectorem praeterea philosophiae Graecae gnarum latere non potest, ut totam Cleanthis disciplinam, ita hunc quoque hymnum vestigia persequi Heracliti, cuius librum de rerum natura scriptum a Cleanthe commentariis esse illustratum docet Diogenes Laërtius (VII. 174), inter huius opera referens *τῶν Ἡρακλείτου ἐξηγήσεων δ'*. Ultimum denique accedit argumentum idque, cum ceteris si conjungitur, minime negligendum, quod neque ullum reperitur in hymno vocabulum Cleanthis aetate recentius, neque ulla vocabulo tribuitur vis, non aut antea in doctorum libris usitata aut a Zenone novata. At cum momenta, quae adhibui ex parte aliqua eiusmodi sint, ut in universum prolata per se singula parum valeant, haec in hymni enarratione suo loco repetita et accurate perpensa probari oportet; qua ipsa de causa, si quando in annotationibus scribendis longius excurri, hoc satis censeo excusatum.

Ne quis notas meas legens in nominibus editorum haereat, breviter praemonendum esse duxi, qui de carmine aut emendando aut interpretando meriti sint. Itaque primo editiones deinde interpretationes et commentationes secundum temporis ordinem enumerabo.

A. *Editiones*

a) in variorum monumentorum collectionibus.

1) Carmina, novem illustrium Feminarum et Lyricorum, Elegiae, Bucolica, Cleanthis aliorumque Fragmenta nunc primum edita ex Biblioth. Fulvii Ursini Antverpiae 1568. (8.) Huius editionis textus ad libros manuscriptos accurate expressus multis vitiis laborat.

2) Poësis Philosophica. Exc. Henr. Stephanus. Paris. 1573. (8.) Textus Ursini repetitus, uno tantum vitio sublato, p. 49; accedunt notae et emendationes Jos. Scalegeri p. 217.

3) The intellectual System of the universe by R. Cudworth. Lond. 1578. p. 432. Textus Stephani repetitus, uno tantum vocabulo correcto.

4) Histoire de la Philosophie Payenne. II. Voll. A la Haye 1724. (8.) T. I. p. 96. Textus Cudworthii repetitus.

5) Systema intellectuale Cudworthii Latine versum per Mosheim. Jenae 1733. p. 515. Textus Cudworthii quatuor locis emendatus.

6) Epicteti Enchiridion, Cebetis Tabula, Prodici Hercules et Cleanthis Hymnus. Gr. et Lat. Glasguae exc. Rob. Foulis. 1744. (12.) p. 84.

7) Analecta veterum poëtarum Graecorum ed. R. F. P. Brunck. Argentor. 1772—76. III Vol. (8.) Edit. sec. ibid. 1785. Vol. II.

p. 225. Brunck recensionem dedit omnino novam e conjecturis et codicibus multis locis emendatam, nullo tamen fonte indicato.

8) Ciceronis Historia philosophiae. Ed. Gedicke. Berol. 1782. (8.) p. 311. ubi in paucis a Brunckii auctoritate receditur.

9) Gnomici poëtae Graeci Cura Brunckii Argent. 1784. (8.) Nonnulla in hac editione sunt novata. Ed. sec. 1817. cura Schaeferi, qui duos locos ex Heerenii recensione emendavit.

10) Anthologia Graeca Poëtica. Ed. T. C. Harles. Baruthi 1792. (8.) p. 84.

11) Johannis Stobaei Eclogae. Ed A. H. L. Heeren. Gotting. 1792. (8.) Vol. I. p. 30. Brunckii recensio pluribus locis e codd. emendata.

12) M. Musuri Carmen in Platonem etc. Appendicis loco subjic. Hymnus Cleanthis Stoici aliaque. Ed. Sm. Butler. Cantabr. 1797. (8.)

13) Poëtae Graeci Gnomici. Ed. Schaefer. Lips. 1815. (12.) Ed. sec. 1818.

14) Poëtae Gnomici Graeci. Lips. 1819. (8.)

15) Callimachus, Proclus, Cleanthes. Paris. 1825. (8.)

b) Hymnus seorsum editus.

1) Cleanthis Hymnus in Jovem Graece. Hymne à Jupiter. Trad. par M. de Bougainville. Gotha 1781. (4.)

2) Cleanthis Hymnus in Jovem. Ed. J. L. Blessig. Argentorati 1781. (8.)

3) Cleanthis Hymnus in Jovem Graece. Notis illstravit L. W. Sturz. Lips. 1785. (4.)

4) Kleanths Gesang auf den höchsten Gott. Griechisch u. Deutsch, nebst einer genauen Darstellung der Stoischen Philosophie, von Heimart Cludius. Göttingen 1786. (8.)

5) Hymnus Cleanthis denuo recensitus, notis illustratus, rhythmis donatus Teutonicis nec non Suecanis. Exerc. philol. moderante L. Th. Kosegarten, prop. L. Edwall. Gryphisw. 1813. (4.)

6) Kleanthes der Stoiker, von G. C. F. Mohnicke. Erstes Bändchen. Poëtische Ueberreste. Greifswald 1814. (8.)

7) Specimen theologiae comparativae exhibens *Κλεάνθους ὕμνον εἰς Δία*. Ed. J. H. A. Schwabe. Jenae 1819. (8.)

8) Cleanthis in Jovem Hymnus denuo recognitus. Ed. Chr. Petersen. Kiliae 1825. (8.)

Editiones, quae post Brunckium prodierunt, eius potissimum recensionem secutae pauca novarunt. Praeter Heerenium, qui e novis codicibus bona quaedam protulit, Mohnike optime de hymno nostro meritus est, quamquam interpretando et recta verborum constructione restituenda plus, quam emendando praestitit. Num lectiones variantes, quas Monthly Review Jan. 1798. p. 18. exhibere dicitur (Harless brev. Notit. litter. Graec. p. 261.) novi aliquid exhibeant, libro illo carens dicere nequeo. Ego in textu recognoscendo Monikium maxime secutus sum, plura tamen a Brunckio novata, ab illo servata in pristinam integritatem restitui atque innumera sive editoris sive typothetae vitia tacite correxi.

B. *Interpretationes*

a) Latinae.

1) Duportii Prof. Cantabr. apud Cudworth. l. l.

2) Cleanthis Hymnus Latinis versibus redditus et illustratus ab H. C. H. Weiss. Prog. Rotenburg ad Tub. 1783. (4.)

3) Circumspectus in Philosophia auct. D. Florello Gryphiae 1809. (8.) p. 55.

4) Hier. de Bosch. Poëmata. Traj. 1803. (4.) sub finem.

b) Recentioribus linguis compositae praeter Germanicam.

1) Italica auct. Pompei in eius Opp. Tom. II. 1790.

2) Francogallica auct. de Bougainville l. l.

3) Anglica auct. Gilbert West, Monthly Review. Jun. 1749. p. 122. et inter Odas Pindari Anglice ab eodem versas Lond. 1753. (8.) V. I. p. 282.

4) Suecana auct. Edwall in libro Kosegartenii allato.

c) Germanicae.

1) Deutsches Museum. Juli 1778. p. 24. auct. Gedicke.

2) Cludius. l. l.

3) Analecten oder Blumen und Phantasien aus Griechenland, von K. P. Conz. Leipz. 1793. (8.) p. 78.

4) Zerstreute Blätter von Herder. 1792. Samml. 2. p. 209. (8.), quae versio emendata prodiit in libro, qui inscriptus est: Hellas Veilchen. Chemnitz 1801. (4.) p. 158.

5) Abriss einer Religionslehre des Plato, von Hoerstel. Braunschweig 1789. (8.)

6) Kosegartenii l. l.

7) Mohnikii l. l.

8) De Cleanthe Divinitatis assertore et praedicatore auct. G. F. Krug. Lips. 1824. (4.).

Inter eos, qui carmen in nostrum sermonem transtulerunt, ceteris excellunt Herder, Mohnike et Krug; ex quibus cum Herder

satis quidem eleganter, sed minus accurate verterit, neque semper legibus metricis nunc strictioribus obedientiam praebuerit, Monike quamvis accuratior sit, versus tamen fecerit non meliores, Krugius denique utroque quidem elegantior, non satis tamen ad verbum singula reddiderit, huius elegantiam ut cum Mohnikii diligentia copularem, denuo vertendi periculum facere conatus sum, si quid bonae frugis in prioribus erat, meo jure, opinor, in usum meum convertens.

C. *Commentationes*

non paucae de hymno nostro conscriptae, aut editionibus aut versionibus adnexae, cum illis recensitae sunt; quibus addendi sunt, F. K—i in B. commentarii, de quibus initio dixi, in Seebodii Bibl. Crit. 1819. Fasc. IV. p. 452. Quae Blessig, Cludius et Schwabe ad interpretationem contulerunt, in notitiam meam non pervenere; quae Sturzius dedit, quaeque iis addidit K., quae denique in crisi instituenda Mohnike attulit, ea ad sensum excerpta suo quodque loco notis meis inserui. Notitiam litterariam, quam exhibui, maxima ex parte Mohnikio et Krugio debeo. Itaque fortasse superfluum est monere, longe maximam adnotationis partem per plures annos, cum Stoicae inprimis disciplinae operam et tempus navarem, a memet ipso esse conquisitam.

Κύδιστ' ἀθανάτων, πολυώνυμε, παγκρατὲς αἰεί,
Ζεῦ, φύσεως ἀρχηγέ, νόμου μέτα πάντα κυβερνῶν,
Χαῖρε! Σὲ γὰρ πάντεσσι θέμις θνητοῖσι προσαυδᾷν·

2) Ζεῦ restitutum est a Brunckio, ante quem legebatur Ζεύς.

3) Πάντεσσι, jam a Scaligero propositum, a Brunckio in textum est receptum pro

Ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, [ὃ σοῦ] μίμημα λαχόντες
Μοῦνοι, ὅσα ζώει τε καὶ ἕρπει θνήτ' ἐπὶ γαῖαν·
Τῷ σε καθυμνήσω καὶ σὸν κράτος αἰὲν ἀείσω.
Σοὶ δὴ πᾶς ὅδε κόσμος ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν
Πείθεται, ᾗ κεν ἄγῃς, καὶ ἑκὼν ὑπὸ σεῖο κρατεῖται.
Τοῖον ἔχεις ὑποεργὸν ἀνικήτοις ὑπὸ χερσίν,
Ἀμφήκη, πυρόεντα, ἀεὶ ζώοντα κεραυνόν·
Τοῦ γὰρ ὑπὸ πληγῆς φύσεως πάντ' ἐῤῥίγασιν,
Ὧι σὺ κατευθύνεις κοινὸν λόγον, ὃς διὰ πάντων
Φοιτᾷ, μιγνύμενος μεγάλων μικροῖσι φάεσσιν,

πᾶσι, quod metro repugnat; Mosheim scripserat καὶ πᾶσιν, quod sensum praebet minus commodum.

4) ὃ σοῦ ita quidem ego primus scribere ausus sum pro ἤχου, quod codd. praebent; Scaliger proposuit ὄχου, corpus enim, inquit, ὄχημα ψυχῆς; Gedicke scribi voluit ἐκ σοῦ, quod metro repugnat; Brunck scripsit ἰῆς; suadente Ahlwardtio Mohnike in textum recepit ἴσου, quod ego antea repetiveram; aliam eiusdem viri conjecturam ὅου M. ipse rejecit.

5) μοῦνοι legendum esse suspicatus erat Cludius; quod e cod. Vat. recepit Heeren. Pro ζώει idem cod. exhibet ζῶσι, quod quomodo ex illo depravatum sit, facile intelligitur.

7) δὴ pro δὲ, quae est codicum lectio, a Scaligero propositum recentioribus cunctis recte est probatum.

9) Pro ἀνικήτοις Mosheim scripsit ἀκινήτοις, codd. improbantibus,; ὑπὸ χερσὶν codd. sequens restititui; pro ὑπὸ Brunckius scripserat ἐνὶ χερσίν.

10) Ursinus et Mohnike in fine huius versus posuerant comma, ceteri punctum, ego colon.

11) Vocabulo ἐῤῥίγασιν Brunckius recte ν. addidit. Pro πληγῆς a Brunckio in Gnom. scriptum est πληγῇς.

13) Restitui codicum lectionem μεγάλων μικροῖσι pro Brunckii conjectura μεγαλοῖς μικροῖς τε, quam quidem omnes probarunt recentiores.

Ὡς τόσσος γεγαὼς ὕπατος βασιλεὺς διὰ παντός.
Οὐδέ τι γίγνεται ἔργον ἐπὶ χθονὶ σοῦ δίχα, δαῖμον,
Οὔτε κατ᾽ αἰθέριον θεῖον πόλον, οὔτ᾽ ἐπὶ πόντῳ,
Πλὴν ὁπόσα ῥέζουσι κακοὶ σφετέρῃσιν ἀνοίαις.
Ἀλλὰ σὺ καὶ τὰ περισσὰ ἐπίστασαι ἄρτια θεῖναι
Καὶ κοσμεῖν τὰ ἄκοσμα, καὶ οὐ φίλα σοὶ φίλα ἐστίν·
Ὧδε γὰρ εἰς ἓν πάντα συνήρμοκας, ἐσθλὰ κακοῖσιν,
Ὥσθ᾽ ἕνα γίγνεσθαι πάντων λόγον αἰὲν ἐόντα,
Ὃν φεύγοντες ἐῶσιν, ὅσοι θνητῶν κακοί εἰσι.
Δύσμοροι οἵτ᾽ ἀγαθῶν μὲν ἀεὶ κτῆσιν ποθέοντες,
Οὔτ᾽ ἐσορῶσι θεοῦ κοινὸν νόμον, οὔτε κλύουσιν,
Ὧι κεν πειθόμενοι σὺν νῷ βίον ἐσθλὸν ἔχοιεν.
Αὐτοὶ δ᾽ αὖθ᾽ ὁρμῶσιν ἄνευ καλοῦ ἄλλος ἐπ᾽ ἄλλα,
Οἱ μὲν ὑπὲρ δόξης σπουδὴν δυςέριστον ἔχοντες,
Οἱ δ᾽ ἐπὶ κερδοσύνας τετραμμένοι οὐδενὶ κόσμῳ,
Ἄλλοι δ᾽ εἰς ἄνεσιν καὶ σώματος ἡδέα ἔργα.

---

14) ὡς ab Heerenio e codd. restitutum est, antea legebatur ὅς.
16) ἐπὶ ad codd. restitui, pro quo Brunckius scripserat ἐνί.
18) Hunc versum antea casu interceptum Brunckius e codd. Par. recepit.
19) Κοσμεῖν, quod Heerenii codd. exhibere videntur, praetuli lectioni κοσμεῖς.
20) Πάντα retinui, etsi Brunckio in Gnom. duce recentiores receperunt ἅπαντα.
21) ἐόντα Brunckii conjecturam probavi contra auctoritatem codicum, qui ἐόντων exhibent.
23) Pro μὲν ἀεὶ κτῆσιν Mosheim scripsit τὴν μὲν κτῆσιν.
24) Pro οὔτε κλύουσι cod. Vat. exhibet οὔτ᾽ ἐκλύουσι.
26) Heeren e cod. Vat. et Aug. restituit αὖθ᾽ pro αὖ, quod ante eum legebatur; iidem codd. cum Ursino pro καλοῦ exhibent κακοῦ.

Σπεύδοντες μάλα πάμπαν, ἐναντία τῶνδε γενέσθαι.
Ἀλλὰ Ζεῦ πάνδωρε, κελαινεφές, ἀρχικέραυνε,
Ἀνθρώπους εἴρυσσαι ἀπειροσύνης ἀπὸ λυγρῆς,
Ἣν σύ, πάτερ, σκέδασον ψυχῆς ἄπο, δὸς δὲ κυρῆσαι
Γνώμης, ᾗ πίσυνος σὺ Δίκης μέτα πάντα κυβερνᾷς,
Ὄφρ᾽ ἂν τιμηθέντες ἀμειβώμεσθά σε τιμῇ,
Ὑμνοῦντες τὰ σὰ ἔργα διηνεκές, ὡς ἐπέοικε
Θνητὸν ἐόντ᾽, ἐπεὶ οὔτε βροτοῖς γέρας ἄλλο τι μεῖζον
Οὔτε θεοῖς, ἢ κοινὸν ἀεὶ νόμον ἐν δίκῃ ὑμνεῖν.

Du der Unsterblichen Haupt! Vielnamiger, mächtiger Herrscher!
Zeus! Urgrund der Natur! nach Gesetzen regierend das Weltall!
Heil! denn Dich zu verehren, ist Pflicht für die Sterblichen alle;
Denn aus Deinem Geschlecht sind wir, Dein Gleichniss erlangend
Einzig von allem, was Sterbliches lebet und wandelt auf Erden.
Darum will ich Dich preisen, erheben auch Deine Gewalt stets.
Dir ja gehorcht die geräumige Welt, umkreisend den Erdball,
Wie Du sie führest, und lässt sich von Dir freiwillig beherrschen.
Solchen Vermittler Du führest in nimmerbezwungenen Händen,

---

30) Ante hunc versum codd. habent: ἐπ᾽ ἄλλοτε δ᾽ ἄλλα φέροντες, quae verba Brunkkius et Mohike recte e textu removisse mihi videntur, utpote interpretationem; Heeren contra versum supplevit ita: πολλοὶ πολλὰ μογοῦσι ἐπ᾽ ἄλλοτε δ᾽ ἄλλα φέροντες et pro τῶνδε scribi vult τῶνγε; certe τε ab ἄλλο sejungendum erat.

31) Ursinus cum codd. dedit Ζεὺς, Brunck emendavit Ζεῦ.

32) Ursinus e codd. exhibet ῥύου Scaliger aut μὲν ῥύου aut ῥύεσθαι esse legendum proposuit, Brunck melius ῥύοιο, quod cum metro repugnet, ego εἴρυσσαι scribendum conjeci.

38) Ursinus e codd. scripserat οὔτοι Cudworth recte emendavit οὔτε; Mosheim pro ἄλλοτε restituit ἄλλο τι.

Doppelt geschärft den geflammten und ewig lebendigen Blitzstrahl;
Denn von dem Schlage desselben erstarrt der Natur All ringsum;
Durch ihn lenkst Du gemeinsamen Geist, der kräftig durch Alles
Dringet, sich immer von grössern zu kleineren Lichtern verbreitend,
So nun, solcher geworden, der mächtigste König in Allem.
Nichts auf Erden begiebt sich, o Göttlicher, Dir sich entziehend,
Nichts am himmlischen Pole des Aethers und nichts auf dem Meere,
Ausser so vieles die Frevler begehen in eigner Bethörung.
Aber auch, was uneben, doch wieder zu ebnen verstehst Du;
Ordnest, so wider die Ordnung anstrebt, machst Feindliches freundlich;
Also fügtest in Eins Du Alles, ins Schlechte das Gute,
Dass Ein werde von allem der Geist, der ewiglich da sei,
Welchen verlassen und fliehen, so viele der Sterblichen bös sind:
Unglückselige, welche der Güter Erwerbung begehrend
Weder gewahren des Gottes gemeinsam Gesetz, noch befolgen,
Welchem gehorchend verständig ein edeles Leben sie führten.
Aber sie streben des Guten vergessend, ein jeder nach andrem;
Diese des nichtigen Ruhmes verderbliche Leidenschaft nährend,
Jene der Gier nach Gewinn ganz wider die Ordnung ergeben,
Andre der trägen Erschlaffung und üppigen Werken des Leibes,
Alle beeilend zugleich, was diesem gerade zuwider.
Aber, o Zeus, Allgeber, Du Wolkenversammler, des Blitzes
Lenker! O rette die Menschen von ihrem verderblichen Irrwahn!
Scheuch von der Seel' ihn Vater, und lasse Verstand uns erlangen,
Welchem vertrauend Du mit der Gerechtigkeit lenkest das Weltall,
Dass wir geehrt, Dir selber die Ehre auch wieder vergelten,
Stets lobsingend von Dir vollendete Werke, so ziemts den

Sterblichen; nicht für Bewohner der Erd' ist Höheres, nicht für Himmlische, als in Gerechtigkeit preisen gemeinsame Satzung.

Ut sententiarum nexum breviter adumbratum interpretationi praemittam, ad artis fere regulas hymnus ex tribus partibus compositus est: primis enim sex versibus poëta consilium et causam profert Dei celebrandi, deinde ad versum tricesimum usque ipsa celebratio continuatur, quae finitur atque peroratur precibus.

V. 1. Excitatur quodammodo Jupiter cognomine, quo jam Homerus salutavit eos, quibus summa tribuitur potestas et gloria, Deorum princeps et Graecorum dux; saepius enim Jupiter in precibus appellatur *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε* Il. II. 412, Hymnus XXII. in Jov. v. 4; eodem modo Il. II. 434 Agamemnon appellatur *Ἀτρείδη κύδιστε*. Si deinde additur *ἀθανάτων*, etiam Stoico Deos ita appellare licuit, utpote poëtae, quamvis Deos praeter Jovem cunctos mortales putaverit; Plut. Stoic. repugn. p. 1052. Subjungitur vocabulum *πολυώνυμος*, quo, quantum scio, Homerus neminem insignivit Deorum, Hesiodus autem *ὕδωρ* cognominat Theog. 785 e Grammaticorum quidem sententia non propter plura eius nomina, sed quod saepius nominatur, quo sensu hoc vocabulum etiam ab auctore hymni in Apollinem v. 82, usurpatum videtur; propter plura tamen nomina jam Pluto hoc cognomine insignitus esse videtur ab eo, qui hymnum composuit in Venerem v. 18 et 32; certe propterea Bacchus vocatur *πολυώνυμος* a Sophocle in Antigone v. 1115. Noster denique Stoicae sectae philosophus idem hoc vocabulum peculiari usurpat sensu; quae enim nomina Graeci plurium esse Deorum crediderunt, ea Stoici pro variis eiusdem Numinis significationibus habuerunt, quod, etsi per se unum, in diversis tamen mundi partibus apparens in multos daemones quasi

se dividat, quorum princeps sit Jupiter. Cf. Diog. Laërt. VII 147. Stob. I. 3. 28. p. 60. Cic. Nat. Deor. II. c. 23 etc. *Παγκρατής*, si non prius, certe apud Sophoclem Deus vocatur Philoct. 1454, cf. Hermann ad. h. l. A Stoicis quoque summum Deum omnipotentem esse habitum, demonstratione non eget: quam si quis desiderat, secundum Ciceronis de Nat. Deor. librum legat.

V. 2. Jam accuratius describit poëta Jovis naturam nominibus, quibus eum hoc versu ornat: princeps naturae dux atque rector vocatur Jupiter *φύσεως ἀρχηγός;* simili ratione apud Aristotelem Thales *ὁ τῆς τοιαύτης ἀρχηγὸς φιλοσοφίας* vocatur Met. I. c. 3. p. 10. ed. Brand. Eodem vocabulo usus est Posidonius apud Stob. I. 14. p. 338 *τὸ αἴτιον* definiens *τὸ ἀρχηγὸν ποιήσεως:* paullo latius patet vis vocabuli *ἀρχηγέτης* apud Platonem Lys. c. 5 p. 205 d. ad quem locum quae Heindorfius annotavit, inspicienda sunt. Poëta igitur profecto Deum significat creatorem, qui hoc quidem loco aperte a natura distinguitur, vocabulo *πάντα* significata, ut v. 11. verbis *Φύσεως πάντα.* Jupiter igitur creator et gubernator est universi, quod gubernat ope legis, quae inter ipsum et naturam intercedere videtur vel utrumque amplectitur; ultimo saltem versu lex vocatur communis, Diis hominibusque celebranda, id quod convenit eius definitioni, quam legimus apud Stob. Ecl. II. c. 7, p. 190. *τόν τε νόμον σπουδαῖον εἶναί φασι, λόγον ὀρθὸν ὄντα, προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων* cf. p. 204 et Cic. de legg. I. c. 6. etc.

V. 3. Deo invocato eiusque potentia et efficientia memorata, quibus caussis commotus eum celebrare sibi proposuerit, exponit poëta, formulam salutandi praemittens (*χαῖρε*) inter homines tritam, neque hymnorum auctoribus ignotam cf. Hymn. in Apoll. 14. in

Ven. 92. Vocabula θέμις et προςαυδᾷν ex Homero tam nota sunt, ut verbum de iis addere superfluum sit.

V. 4. Jam sequuntur clarissima illa verba: venerari te debemus; ex te enim originem ducimus, tibi coguati sumus soli inter omnia animantia. Prae ceteris nobilitatum est huius versus initium: ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, quod imitatus est Aratus Phaen. v. 5. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, quem versum laudans Paulus Apostolus nostrum quoque locum respexerit oportet, plures Graecorum ita dixisse memorans Act. Apost. XVII. 28. Stoicam esse hanc doctrinam, Sturzius demonstrat e Senecae epist. 41: „prope a te Deus, tecum est, intus est" etc. atque ex Antonino II. 1. Ἐγὼ δὲ τεθεωρηκὼς τὴν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντος φύσιν, ὅτι μοι συγγενής, οὐχὶ αἵματος ἢ σπέρματος τοῦ αὐτοῦ, ἀλλὰ νοῦ καὶ θείας ἀπομοίρας μετοχός; quam doctrinam irrisam esse censet ab Horatio Sat. II. 2. 79. Multos addere potuissem locos, quibus idem efficeretur; sed totius disciplinae indicatio fortius est argumentum: Tiedemann Syst. der Stoisch. Philos. II. p. 147. K. ille, quem saepius indicavi, addit nescio qua de causa Ast. ad Plat. Phaedr. 28. p. 304. c. 34. p. 315. Creuzer ad Plot. de pulchr. p. 289 et 294. In altera huius versus parte lectio est incerta: codices enim nihil nisi ἤχου exhibent, quod nec metrum admittit, et accentus falsus suspectum reddit. Ut Scaligeri conjecturam longius petitam (ὄχου), quae vix intelligi potest, praetermittam, Gedike proposuit ἐκ σοῦ ad sensum non male, neque tamen metro aptum. Acutius quam verius proposuit Brunck ἰῆς; etenim ipsius conjecturae interpretatio est dubia: Sturzius, qui Brunckii sententiam fulcire studuit, vocabuli antiquitatem et vim probavit ex Hesychio (ἰή, φωνή, βοή) atque Euripidis Rheso v. 553 et Aeschyli Pers. v. 940, hanc addens enarrationem: „ἰῆς μίμημα id quod imitatione

vocis exstitit h. e. vocis imago et simulacrum est Echo. Echus autem notio continet ipsa similitudinis notionem; ergo sensus: Quamvis non pares sive aequales tibi simus, sed tantum similes atque adeo te inferiores.“ Hunc sensum a quoquam alio ex hoc loco elici posse, valde dubito; si quis Brunckii conjecturam retinere vult, certe K. meliorem monstravit viam, in vocis imitatione signum quaerens, quo nostra cum Deo cognatio appareat. Quod signum a Graecis pro argumento huius rei habitum esse, si eo probare vult, quod Diis apud Homerum (Il. *α*, 403. *ο*, 291, (?) *υ*, 74. Od. *κ*, 305.) lingua tribuitur, causa sua excidisse videtur; argumentum enim idem contra ipsum afferri possit, quum diversae Deorum atque hominum linguae esse dicantur, ut inde similitudinis signum vix petere possis. Aliam etiam interpretationem proponit K. noster *ἰῆς μίμημα* pro *ὀπήν*, ut nil nisi hominum vox indicetur: quae sententia ad idem fere redit, nisi vocis significationem ad illud *καθυμνήσω* trahimus, id quod amicus quidam proposuit. Ita vero, quid imitatio sibi velit, non videmus. Utraque ratione, quam K — o debemus, vox vel lingua signum similitudinis esset; participium enim *λάχοντες* aut causam indicet, aut sententiam dilatet necesse est; illud quum mea quidem sententia fieri non possit, hoc potius amplector, cujus causa Ahlwardtii conjecturam antea probavi et Gedikium laudavi; sententiam enim fortem poëta noster amplificare solet cf. v. 6. *καθυμνήσω* et *ἀείσω*, *σε* et *σὸν κράτος;* sic etiam, quae v. 15. dicta sunt, aliis verbis v 16. repetuntur; eodem modo cohaerent v. 18. et 19. praeterea 22, 23 et 24. etc. At Ahlwardtii conjecturam, versu Euripidis (Iphig. Taur. 1009.) non satis firmatam, propter tautologiam rursus missam feci, quum melior mihi affulsisse videatur lux scribenti *ὃ σοῦ*. Nam sententiam satis.

graviter efferri repetendo vocabulo σοῦ' quisque, opinor, intelliget. Sed solo σοῦ scripto, metrum claudicat, quamquam eiusmodi versus non omnino rejecti sunt (Herm. Ep. §. 314 et 321.) Hic etiam ferri possit incisio propter eiusdem verbi repetitionem, praesertim cum Empedoclis legatur versus ita comparatus, qui caret eiusmodi excusatione, ap. Sturz. v. 76. *ἐκ τούτων γὰρ πάντ' ἦν, ὅσσα τέ ἐστι καὶ ἔσται.* Si vero addis ὅ, optime versus ingreditur, simulque intelligis, quomodo *HXOΥ* ortum sit. Scriptum si ponimus litteris majusculis *ϜOCOΥ*, spiritu *Ϝ* propius ad *O* scripto, hoc autem *O* micro supra et infra non accurate expresso, ex *Ϝ* et anteriore parte illius *O* facile *H* oriri potuit, ex posteriore parte eiusdem *O* cum *C* conjuncta *X*, ut evaderet *HXOΥ*. Ne grammaticus aliquis mihi adversetur, probandum est, relativum vel articulum postpositivum ita pro praepositivo usurpari posse, quod quidem ex Homero satis notum est e. g. Il. ψ. 9. *ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων;* quem usum cum Argonauticorum auctor receperit e. g. v. 118. *ὃ καὶ γέρας ἔσσεται ὑμῖν,* non video, cur Cleanthi denegemus. Hic tum evadit sensus: Nos homines sumus genus ex te ortum, retinentes hanc tui imaginem, quae in ipso genere est, soli ex omnibus animantibus i. e. tui generis sumus, quod inde apparet, quod tuam imaginem in nobis gerimus. Alia Ahlwardtii conjectura est *ὅου* pro *οὗ*, quod relativum eundem fere sensum praebet, grammatica tamen ratione difficilius etiam defenditur. Praestat igitur *ὃ σοῦ*, quod satis explicavimus, nisi forte addendum sit: imaginem divinam esse mentem, qua soli homines gaudent et a bestiis differunt. Si cui minus placet conjectura nostra, meliorem quaerat; pro certa ipsi eam venditare non audemus.

V. 5. Jam brevius de hoc versu agi licere laetor; voca-

bulum enim ζώειν apud Homerum satis frequens est, et ἕρπει apud Tragicos, a quibus Cleanthes etiam notionem huius verbi sumpsisse videri potest; hoc enim loco non serpendi, sed ingrediendi vim habet, quae tamen neque Homero ignota est; imo totus locus ad Homeri exemplum expressus esse videtur cf. Od. XVIII. 130.

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

V. 6. Hoc quoque versu, ut saepius, poëta eandem sententiam bis exponit, fortioribus eam verbis repetens; primo Deum sibi esse celebrandum in genere praecipit, deinde divinae potentiae mentionem facit, qua viam sibi muniat ad Deum mundi gubernatorem describendum. Antea causis Dei celebrandi expositis, a versu septimo inde indicat primum, quomodo Dei sapientia et potentia in natura regenda se exhibeat, tum qua ratione in rebus humanis agnoscatur.

V. 7. Mundus (κόσμος) cum non tantum a Deo eum regente, sed etiam a terra distinguatur, hic non nisi coelum indicat, quam significationem Diogenes diserte Stoicis tribuit VII. §. 138 καὶ αὐτὴν δὲ τὴν διακόσμησιν τῶν ἀστέρων κόσμον εἶναι λέγουσι: quod minime est negligendum; aliis enim locis et ipse Deus et universum cum Deo vocatur mundus. cf. 137 et 148. Quid Stoici de corporum coelestium motu statuerint, fusius Cicero N. D. II. 40 etc. Diog. VII. 145 et 155 docent. De stellarum cum singularum tum cunctarum motu vocabulum ἑλίσσειν vel ἑλίσσεσθαι Arato usitatum, jam apud Homerum legitur, quamquam non de coelo, sed de quocunque motu orbiculari; de lunae motu primum apud Empedoclem. v. 172. 173. ed. Sturz.

V. 8. Mirum videri potest, mundum sequi, quocunque ducatur, etiamsi antea motus in orbem ei praescriptus sit; at memineris, quaeso, orbis sive circuli formam esse perfectissimam, atque a Deo perfectissimo omnia eligi perfectissima, ideoque initio huius versus describi omnium rerum concordiam in Dei perfectione positam, quae posteriore versus parte, ubi liberum arbitrium cum potentia copulatur, etiam fortius exprimatur. Vocabulum *κρατεῖν* apud Homerum quidem non nisi cum genitivo vel dativo construitur, apud Atticos vero etiam cum accusativo, sensu paullulum mutato; cum genitivo enim significat *dominum esse alicuius rei*, cum dativo *dominum se praebere, imperare,* cum accusativo *in ditione habere,* tenere. Cf. Matth. Gr. Gr. §. 360. b. Haec ne quis nimis trita putet, monendum est, ita genus loquendi aetati vindicari aut Cleanthis aut etiam priori.

V. 9. Fulmen Jupiter dicitur habere pro ministro tali, qui, quae antea de ipso praedicata sunt, efficere possit; fulmen hoc gerit invictis manibus, quia eius ope omnia domare potest: quare non manus tantum appellatur invicta apud. Soph. Oed. Col. 1507. (1515.) *αἱ πολλὰ βρονταὶ διατελεῖς, τὰ πολλά τε στράψαντα χειρὸς τῆς ἀνικήτου βέλη;* sed etiam fulmen Orph. Hymn. XVIII. 9. *ἀνίκητον βέλος ἁγνόν* atque XIX. 4. idem Jovem appellat *ἀνίκητον θεὸν ἁγνὸν ἀστραπέα Δία.* Quibus locis K. recte usus est ad locum nostrum illustrandum; iisdem ipse infringit argumenta, quae pro Mosheimii sive conjectura sive vitio attulit: *ἀκινήτοις* enim, quod ille praetulit, et codicum auctoritate refellitur, et sensum praebet vix tolerabilem; manibus enim immotis si quid efficere Jupiter dicitur, hoc de eius voluntate manuum artificio non indigente argutius, quam verius mihi quidem

videtur intelligi. Quae praeterea afferuntur veterum testimonia de Jove tonante, rem quidem non minus illustrant, K—i tamen opinionem minime firmant. Virg. Georg. I. 328—30. Ecl. IV. 50. Horat. Od. I. 2. 2. I. 34. 5—12. Il. I. 528. Eodem modo Dei potentiam melius depingit codicum lectio ὑπὸ, quam Brunckii conjectura ἐνὶ; illo enim vocabulo fulmen Jovi non solum in manus datur, sed simul subjicitur, quae est vocis ὑπὸ cum dativo constructae significatio cf. Odyss. III. 304. δέδμητο δὲ λαὸς ὑπ' αὐτῷ; eiusmodi sensu apud Atticos in usu erant dictiones γίγνεσθαι ὑπό τινι, εἶναι ὑπό τινι. Cf. Matth. 593. Krüger ad Xenoph. Anab. I. 1. 4. Si similem litterarum sonum in dictionibus ὑποεργὸν et ὑπὸ χερσὶν consilio petitum putare licet, inde v. 4 repetitio vocabuli σοῦ defendi et firmari potest.

V. 10. Fulmen hoc Jovi subditum non illud est, quod vulgo dicitur, sed ignis subtilissimus, quo utitur Jupiter in mundo administrando. Hic ignis, quia in fulmine maxime purus apparet, a poëta ipsius fulminis nomine appellatur. Ignem ubicunque apparentem Dei partem putaverunt Stoici, inprimis Cleanthes (Cic. N. D. I. 14. 37); quare fulmen, nulla re interveniente, ab Jove mitti contenderunt (Sen. Nat. Quaest. II. 45 etc.); quod ab Heraclito depromptum esse, manifestum erit legenti Schleiermacheri de Heraclito scriptum, idque cum Cleanthis doctrina apud Ciceronem l. l. obvia conferenti. Cf. Sen. Quaest. Nat. II. 56. Stob. I. 30. 1. p. 594.) Fulmen si utrinque acutum vocatur (ἀμφήκης), de hoc praedicato cogitanti statim, opinor, in mentem venit Jovis simulacrum, in dextra fulmen gerens duplice cuspide instructum. Sed qui meminerit, apud Homerum non nisi gladium ita vocari, jam de duplice cuspide cogitare desinet; illis potius gladiis comparatur fulmen, qui duplice acie instructi a

Romanis ancipites vocantur. Si deinde fulmen etiam igneum (πυρόεις) vocatur, hoc non solum ornandi causa additum est, sed ut vocabuli κεραυνὸς vis, quod et tonitru et fulmen indicare potest, accuratius definiatur. Praedicatum, quod ultimum sequitur (ἀεὶ ζῶον) jam nullam relinquit dubitationem, non de vero fulmine, sed de aeterno eius fonte, ipso Jove, esse sermonem; nihil enim ex Stoicorum sententia aeternum, nisi ipse Jupiter (Plut. Com. Not. c. 36. Anton. IV. 14); quod item ab Heraclito depromptum esse videtur, qui (Clem. Strom. V. 14. p. 711.) κόσμον, inquit, τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν ἀεὶ καὶ ἔσται πῦρ ἀεὶ ζῶν cf. Schleiermach. p. 374 et 386.

V. 11. Dictio huius versus φύσεως πάντα pro φύσις πᾶσα satis frequens est apud Atticos veteres et poëtas et solutae orationis scriptores, ut unum sufficiat exemplum: Eurip. Alcest. 603. πάντ' ἔνεστι σοφίας Matth. §. 320 et 442. Vocabulum φύσις hoc quidem loco res quasi naturae vi animatas complectitur omnes, non animalia tantum, sed etiam vegetabilia, quae nos vocamus, quo sensu idem vocabulum ex mente Stoicorum definitur apud. Diog. VII. 156 Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς τὴν μὲν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν, ὅπερ ἐστὶ πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεχνοειδές: quo latiore sensu etiam Cicero naturam dixit N. D. II. 9. §. 24; 11. §. 29 et 32. §. 81. 82. Si apud Sext. Emp. adv. Math. VIII. §. 81 natura iis tantum, quae e terra gignuntur, tribui videtur, minime est negligendum, quod inferiori animantium gradui tribuitur, idem reperiri in superiore; itaque natura plantis propria etiam in animalibus inest, quamquam non peculiarem horum indolem efficit. Hoc denique loco animalia maxime esse spectanda, verbum ἐῤῥίγασιν ostendit, quippe quod de vivis dictum sit oportet;

obtorpescere enim horrore non possunt, nisi quae sensu praedita sunt, id quod proprie de animalibus tantum valet, ad plantas tamen a poëta transferri potest. Hoc autem obtorpescere ipso rhythmo, spondeum in quinto pede admittente, expressum est, quod vertendo imitatus sum.

V. 12—14. Jam diserte poëta eloquitur, fulmen non diversum esse ab igne illo tenui, quo ratio communis regatur per totum mundum pertinens. Vocabulum *κατευθύνω* non regendi tantum vim continet, sed simul justitiam et constantiam complectitur; propria enim eius vis est ad rectam lineam dirigere. Ratio illa communis, cuius hic mentio fit, ex intima Stoica philosophia deprompta, breviter et satis luculenter a Plutarcho explicatur de Stoic. repug. c. 34 *ὅτι δὴ κοινὴ φύσις καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη καὶ πρόνοια καὶ Ζεύς ἐστιν, — πανταχοῦ θρυλλεῖται ὑπ' αὐτῶν.* Sed res fortasse fusiore eget interpretatione. Hoc certe animadvertendum est, hanc de communi ratione doctrinam ab Heraclito esse desumptam, sensu quidem nonnihil mutato. Cf. Schleiermacheri scriptionem in Museo litterarum antiq. I. 3. p. 424 et 476 etc. fragm. 47 etc. Stoicam de Deo sententiam bene adumbrat Johannes Stobaeus Ecl. I. 3. 28. p. 64. *Οἱ Στωϊκοὶ νοερὸν θεὸν ἀποφαίνονται πῦρ τεχνικόν, ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γένεσιν κόσμου, ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἅπαντα καθ' εἱμαρμένην γίνεται, καὶ πνεῦμα μὲν ἐν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον διὰ τὰς τῆς ὕλης, δι' ἧς κεχώρηκει, παραλλάξεις· θεοὺς δὲ καὶ τὸν κόσμον καὶ τοὺς ἀστέρας καὶ τὴν γῆν· ἀνωτάτω δὲ πάντων νοῦν ἐναιθέριον εἶναι θεόν.* Etsi haec e Chrysippeis desumpta esse, ex ultimis verbis intelligitur, cum Chrysippus et Antipater summum Deum in aethere posuerint, ex eodem tamen loco, in uni-

versum quidem, etiam Cleanthis sententia agnoscitur, quamquam non satis distincte. Etenim si Deus Stoicorum pro eodem accipitur, quem nos hoc nomine significamus, ita ut unus tantum esse credatur, recte iis Pantheismus, quem vocant, sensu arctissimo tribuitur. Sin autem perpendimus, Deum sensu latiore apud illos omnino esse diversum a Jove, summo mundi gubernatore, quem nos solum Dei nomine dignum putamus, Deique vocabulum praeter Jovem non Deos tantum minorum gentium, sed omnia, quae per illum et hosce fiant, amplecti: Stoicorum theologia a nostra eo maxime distinguitur, quod, quas nos vocamus naturae vires atque leges, illi pro animantibus habent, Deorumque et Daemonum nomine dignas ducunt. (Plut. comm. not. c. 31.) Quam caute igitur de hisce rebus nos disputare oporteat, multiplex vocabuli *Deus* significatio ostendit, quam e Cleanthis mente enarrat Cicero in libris de Nat. Deor. (I. 14, 37.) „Cleanthes autem tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominatur, Deum judicat, tum fingit formam quandam et speciem Deorum, tum divinitatem tribuit astris, tum nihil ratione censet esse divinius.“ Stoici, ut in mundo, ita in hominum animis praeter rationem, partem principem, multa ponunt animalia et, quem locum rationi tribuunt in homine, eundem in mundo assignant Jovi (Plut. de Stoic. rep. c. 44). Itaque fieri potest, ut idem philosophus nunc totam naturam vel universum Diis Deabusque impleat, nunc horum nullam faciat mentionem de summo Deo loquens, cui ceteri ita sint subjecti, ut ipsorum voluntas evanescat atque pro sola summi Dei lege accipiatur, id quod apud poëtam nostrum factum est. Plures

divinae actionis, ut ita dicam, gradus ad mentem Stoicorum distinguendi sunt, qui hoc etiam loco peritum fugere non possunt; plerumque quatuor enumerantur: ἕξις (habitus), φύσις (natura), ψυχή (anima), νοῦς (mens) (Anton. VI. 14); saepe tres tantum aut habitus, natura et anima (Sext. Emp. VIII. §. 81), aut habitus, natura et mens, vel duo tantum habitus et mens (Diog. VII. 139); quod quomodo fieri possit, ipsae docent notiones illae nunc latiores nunc arctiores accipiendae. *Habitus* est vis naturalis, quae cernitur in corporibus nulla vita fruentibus; *Natura* vis et ipsa naturalis, vita praedita, quae in plantis earumque similibus se prodit; *Anima* vis naturalis in animalibus apparens; *Mens* denique vis naturalis hominibus et Diis communis. Qui gradus eiusmodi sunt, ut superior quisque inferiores complectatur, inferiores in superioribus repetitae eo latius pateant. Itaque habitus ceteris inferior in omnibus conspicitur, utpote vis ignea, intentionis et remissionis compos, intercedens inter Jovem et mundum. Hic habitus, sensu latissimo omnes gradus complectens, nostro loco ratio communis vocatur, omnia permeans, omnia regens (Plut. Stoic rep. c. 34). Mens, quae et ipsa in eo conspicitur, rursus suos habet gradus, quatenus aut in hominibus, aut in Diis aut in unico summo Deorum, Jove, est. Jupiter autem e Cleanthis sententia in sole habitat (Diog. VII. 139), quod solum posteriori versus decimi tertii parti sensum tribuit, si vulgatam quidem retinemus lectionem, temere a Brunckio mutatam; etenim μέγα φάος est sol, quem si plurali numero dixit, hoc poëtae licuit. Ex sole igitur, quippe qui Dei est sedes, communis illa ratio originem ducit vel principium capit, unde se immiscet ceteris luminibus, lunae et stellis. Genitivum ita pendere a verbo μίγνυμι, aliquem offendere potest, neque tamen hoc genitivi significationi

adversatur et exemplis illustratur similibus: Plut. de orac.def.c.41.T.II.p. 433. B. ed. Fr. *βύσσῳ δὲ γλαυκῆς κρόκου καταμίσγεται, ὡς Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε·* et idem Emped. I. v. 112 ed. Sturz. *οἱ δ', εὖτ' ἢ κατὰ φωτῶν μισγέντ' ἐς φάος ἔλθῃ, ἢ κατὰ θηρῶν ἀγροτέρων γένος* etc. cf. II. 116 ed. Sturz. Stephanus in thesauro l. Gr. e Plutarchi Symposio affert editionis suae pag. 1134 *μέμικται τὸ παγκράτιον ἔκ τε πάλης καὶ πυγμῆς.* Ita sequens etiam versus 14 cum praecedentibus bene cohaeret; habitus enim iste, quem communem rationem vocavit poëta, nunc rex appellatur, quia ex ipso summo Deo profectus ubique eius particeps singula quaeque regit, quo sensu lex a Chrysippo apud Marcianum Ictum vocatur rex l. 2 Dig. de legg.: „Sed et philosophus summae Stoicae Sapientiae Chrysippus libro, quem fecit *περὶ νόμου: ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεύς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων.*" Mundum enim si Deum vocant, ad hunc regem respiciunt Stoici. De eiusmodi sententia locos veterum congessit Astius in addit. ad comm. in Plat. Phaedr. ad calc. comm. in Polit. p. 653; quam Astii notam K. recte comparavit. Vocabulum *ὢς*, quod Heeren recte e codd. restituit, Monike bene defendit, monens in aliis etiam fragmentis etsi paucis plures tamen versus ab hoc vocabulo incipi cf. fr. 1 v. 3 p. 122, *ὢς ἕψομαι γ' ἄοκνος,* fr. 3 v. 2 p. 124, *ὢς δὴ παρ' ἐκείνης τευξόμενος καλοῦ τινός.* Nostro loco *ὢς* ad versum antecedentem respicit: quia a Jovis sede profectus se immiscet minoribus stellis, ideoque omnia, ipsa extrema permeat, omnia regens evadit rex.

V. 15. Ab hoc versu inde poëta sibi viam munit ad hominum mores describendos, qui a Jove diriguntur. Nulla est, inquit, mundi pars, nec in coelo, nec in terra, nec in mari, ubi non Jovis dominetur voluntas, cui omnia obediant praeter homines pravos. At jam ipsa pravorum insipientia ei parit gloriam. Omnes dictiones

huius versus satis antiquae sunt: ipsum illud σοῦ δίχα, *opis tuae expers, sine tuo auxilio,* quod in lexicis bene explicatur cf. Aj. Sophocl. v. 768, ubi Ajax gloriatur, se Deorum auxilio non indigere: ἐγὼ δὲ καὶ δίχα κείνων πέποιθα τοῦτ᾽ ἐπισπάσειν κλέος. Vocabulum δαίμων quoque de Diis majorum gentium non in Orphicis demum, sed apud antiquiores in usu esse, docet Buttmannus ad Soph. Phil. 1454, consentiente Hermanno.

V. 16. Polus quia aethereus est, idem est divinus; aether enim, ignis purus, prae ceteris mundi partibus divinitate donatus est. Tria trium fratrum regna summo Deo docet cuncta et tota esse subjecta. Neque tamen ita ἐνὶ πόντῳ legi necessarium est; quod Brunckius voluit, ἐπὶ πόντῳ sufficit, quamquam nil nisi aequor indicat; at sicut coelum praecipuo eius puncto, polum dico, indicatur totum, ita mare quoque totum superficie significari potest; partes enim principes pro rebus ipsis a poëtis nominari, non est, quod moneam. K. e Sturzio laudat Hom. Il. δ, 409. Cic. N. D. II. 34. III. 39. Acad. I. 7. Anton. V. 34. 36. VI. 41., qui loci, primo excepto, quam late pateat divina potentia, ostendunt, sed ita indefinite, ut vix aliquid interpretationi addant. K. ipse affert Astium ad Plat. de Rep. II. 18. p. 433, qui locus, ut primus Sturzii Homericus, ad versum sequentem pertinens, mala hominibus deberi docet, non Diis.

V. 17. Huius versus sententia saepius ante poëtam nostrum pronuntiata erat, quod ubi factum sit, ad versum praecedentem dictum est. At eandem et Stoicis placuisse et iisdem verbis esse declaratam, ostendatur oportet. Ut paucis rem absolvam, Stoici ante Posidonium omnes et animi perturbationes et vitia et peccata ex ignorantia vel stultitia repetunt, virtutem putantes scientiam, vitium

vero inscitiam (ἄγνοιαν) Stob. Ecl. II. c. 7. p. 92. Ipsum vero vocabulum ἄνοια in usu fuisse apud Stoicos inde conjicias, quod peccata (ἁμαρτήματα) etiam ἀνοήματα, officia vero perfecta εὐνοήματα usurparunt: Stob. l. l. p. 194, atque ubique ὁ νοῦν ἔχων idem est ac sapiens (σοφός), omnium virtutum particeps.

V. 18. Vocabulis e Pythagorica vel Platonica disciplina receptis enuntiatur, mala in bona a Deo converti, id quod sequentibus versibus poëta longius persequitur; e Platonis schola plura in Stoicam transisse, historia docet cf. Philos. Chrysipp. fundam. p. 20. Aequale et inaequale quo sensu ad ethicen pertineant, Plato docet in Philebo p. 25 — 27. Cleanthem plura sibi assumpsisse Platoni propria, alio etiam exemplo docemur, quod Mohnike exhibet p. 122 fragmento secundo, quo bonum describens, praeter multa alia de eo praedicanda, Stoicis maxime usitata, etiam αὐθέκαστον exhibet, quod vocabulum explicatum est a Trendelenburgio in libro de Platonis Ideis et numeris scripto. p. 39.

V. 19. Equidem infinitivum κοσμεῖν praetuli, quia ita constructio facilior evadere mihi quidem videtur. Vocabulum κοσμεῖν jam a Philolao usurpatum Stob. Ecl. I. p. 460 apud Stoicos singulari virtuti (κοσμιότης) Stob. Ecl. II. p. 106 nomen indidit, quae externam maxime speciem indicat virtutis, cuius principia versu antecedente expressa sunt. Mala deinde si οὐ φίλα, non dilecta vocantur, hoc ad homines pertinet, quibus noceant, Deo autem dilecta et exoptata sunt pro fati necessitate, id quod versu vicesimo indicatur.

V. 20. 21. Summa Jovis sapientia cognoscitur eo, quod ipsa prave facta ita sibi subjicit, ut ea cum bonis conjuncta evanescant, imo unam cum iis eandemque naturam induant; utraque enim celer-

rime in rationem totius mundi recipiuntur (Anton. VII. 10.) Videmus igitur, quomodo Cleanthes liberum hominum arbitrium cum Dei sanctitate copulare studuerit, minime confundens aut mala cum bonis, aut id, quod Deus pravi expers prava permittit ab hominibus committi, cum hominum culpa, sed affirmans Jovi nihil esse malum, nihil pravum, quippe qui fati necessitate mala cum bonis reconciliet. Eandem fere sententiam idem Cleanthes expressit apud Epictetum Ench. §. 77 cf. Mohnike p. 47 et 122.

Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ', ἡ Πεπρωμένη
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
Ὡς ἕψομαι γ' ἄοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω
Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

Ad locum nostrum accurate intelligendum a re non alienum est, aliorum quoque Stoicorum verba conferre, inprimis Chrysippi apud Plutarch. de Stoic. repugn. 35, *ἡ δὲ κακία πρὸς τὰ δεῖνα συμπτώματα ἴδιόν τινα ἔχει λόγον· γίνεται μὲν γὰρ καὶ αὐτή πως κατὰ τὸν τῆς φύσεως λόγον, ἵν' οὕτως εἴπω, οὐκ ἀχρήστως γίνεται πρὸς τὰ ὅλα.* Similia profert Antoninus VI. 42. *Πάντες εἰς ἓν ἀποτέλεσμα συνεργοῦμεν, οἱ μὲν εἰδότως καὶ παρακολουθετικῶς, οἱ δὲ ἀνεπιστάτως. Ἄλλος δὲ κατ' ἄλλο συνεργεῖ· ἐκ περιουσίας δὲ καὶ ὁ μεμφόμενος καὶ ὁ ἀντιβαίνειν πειρώμενος καὶ ἀναιρεῖν τὰ γινόμενα· καὶ γὰρ τοῦ τοιούτου ἔχρῃζεν ὁ κόσμος.* Sturzius minus apte comparat Plutarchi de sera numinis vindicta p. 29, ubi pravi nati esse dicuntur propter prolem melioris notae; quo quidem loco de Stoicis sermo non est. E Stoicorum vero sententia ipsa pravitas est secundum communem rationem seu Dei voluntatem; ita tamen ut adversae res illam excipiant. At mala nonne desinunt esse mala, si secundum divinam rationem fiunt? Minime: etenim, etsi per se legi divinae adversantur atque

ei potissimum nocent, qui commisit, (peccantes enim infelices sunt,) attamen in omnium causarum communionem recepta toti mundo prosunt, omnium rerum nexu iis accommodato. Quo sensu jam Heraclitus idem docuerit, a Schleiermachero enucleatur p. 414.

V. 22. Fugere dicuntur rationem aeternam mali, quia ei non convenienter vivunt, quod propositum est generi humano. Cic. de Fin. III. c. 6. Stobaeus Ecl. II. c. 7. p. 134. *Κλεάνθης πρῶτος προςέθηκε τῇ φύσει καὶ οὕτως ἀπέδωκε· τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῇν.*

V. 23. Boni studio omnes ducuntur homines, non omnes tamen consequuntur bonum, ideoque infelices evadunt et stulti. Vocabulum *δύσμορος*, ni fallor, Euripidi maxime est usitatum, quem imitari student Stoici.

V. 24. Communis lex, quae hoc loco tribuitur Deo, non valde diversa est a ratione communi, quam explicavimus, id quod testatur Antoninus VII. 9. *κόσμος τε γὰρ εἷς ἐξ ἁπάντων καὶ θεὸς εἷς διὰ πάντων καὶ οὐσία μία καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ ἀλήθεια μία.* Ex quo loco perspicitur, rationem communem ad universum pertinere mundum, legem ad homines tantum, qui ratione praediti civitatem efficiunt, de qua Antoninus IV. 4. *Εἰ τὸ νοερὸν ἡμῖν κοινόν, καὶ ὁ λόγος, καθ' ὃν λογικοί ἐσμέν, κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ προστακτικὸς τῶν ποιητέων ἢ μή, λόγος κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ νόμος κοινός· εἰ τοῦτο, πολῖται ἐσμέν· εἰ τοῦτο, ὁ κόσμος ὡςανεὶ πόλις ἐστί.* Communi igitur legi obedientes feliciter homines vivunt; hoc enim ipsum legi communi vel naturae convenienter vivere summum est bonum (Diog. VII. 86—88). Cui qui minus obediant, eos esse infelices, ut demonstret poëta, exemplis utitur hominum, qui aut gloriae aut lucri aut voluptatis cupidine ducti, se bonum persequi opinantes, in mala incidunt.

V. 25. Vocabula σὺν νῷ propter legitimam versus caesuram et oppositionem quandum cum verbo sequente construo; mentem enim (νοῦν) vel meditationem, quam in virtute versari ad versum 17 demonstravi, ad convenientiam, vitam vero exquisitam (ἐσθλόν) ad fortunam esse referendam puto, ut versus huius sensus sit: legi divinae si obediunt, fines bonorum consequuntur. Vocabulum enim ἐσθλὸς de felicitate saepius jam ab Homero, saepissime a Pindaro usurpatur Boeckh. ad Pind. Ol. I. 99. Nostro autem loco de vita beata esse cogitandum, oppositum δύσμοροι docet.

V. 26. Vocabulum ὁρμᾷν de appetitu arbitrii Stoicis est usitatissimum cf. Cic. Fin. III. c. 5. Diog. VII. 85. Cui appetitui proposita est honestas (καλόν), quam sibi parare non possunt, qui judicio de honestis et inhonestis laborantes et deficientes animi perturbationibus commoventur atque in mala incidunt, quae est summa insipientia Diog. VII. 111. Horum enim appetitus male dirigitur. K. ad hunc versum conferendum bene monet Creuzerum ad Plotin. de pulchr. p. 293 et praepar. §. 3. p. 7; ubi illud καλὸν describitur.

V. 27. Hoc versu gloriae cupiditas vituperatur, φιλοδοξία, i. e. appetitus gloriae rationi non obtemperans, quippe qui ex errore proficiscatur opinantis, gloriam esse bonum Diog. VII. 115. Stob. II. 7. p. 172 et 176. Propter hanc falsam opinionem poëta studium inde ortum appellat δυςέριστον i. e. lites faciens perniciosas cf. Soph. Electr. 1385 τὸ δυςέριστον αἷμα φυσῶν Ἄρης. K. laudat Koenig ad Pers. Sat. V. 53. Mitscherl. ad Hor. Od. I. 13. Cleanthes eandem animi perturbationem etiam alibi vituperat, cf. Mohnike p. 124. fr. III et IV, ipse autem temperantia et modestia excelluit.

V. 28. Hoc versu reprehenduntur, qui divitiarum cupiditati dediti sunt, quam Stoici φιλοπλουτίαν vocant, quae est hominum pecuniam putantium adnumerandam esse bonis, eoque ducere solet turpitudinis, ut judicium civium de se non vereantur, et ne speciem quidem virtutis servare studeant, id quod poëta indicasse videtur vocabulis οὐδενὶ κόσμῳ, cf. quae dixi ad versum 19.

V. 29. Jam voluptatum cupiditas φιληδονία describitur, de qua disserit idem Cleanthes fragmento nono apud Mohnike p. 128. a Plut. servato:

πόρναις τε δοῦναι, σῶμά τ᾽ εἰς νόσους πεσόν
δαπάναις ἐπιτρίψαι.

Vocabulum ἄνεσις jam apud Platonem frequens, propria vi remissionem, translata animi solutionem indicat. De voluptatum cupiditate cf. Stob. Ecl. II. p. 176. Diog. VII. 115 et interpp. ad. h. l.

V. 30. Quod ad grammaticam interpretationem attinet, omnia fere facilia sunt praeter versum tricesimum a criticis valde vexatum. Codices enim inter v. 29 et 30 verba nonnulla exhibent, quae nec versum efficiunt integrum, nec per se ullum praebent sensum: quare aut plura exeidisse, aut haec ipsa redundare, censendum est. Cum vero ultimis versus tricesimi verbis haec tam accurate respondeant, ut in eorum locum substitui possint, recte a Brunckio ejecta esse videntur; etenim ἐπ᾽ ἄλλο τε δ᾽ ἄλλα φέροντες eundem efficiunt numerum, quem haec verba: ἐναντία τῶν δε γενέσθαι; haec cum paullo obscuriora sint, illa a grammatico adscripta et postea in textum recepta videntur. Varia criticorum conamina repetere et persequi longum est; quamobrem nil nisi meam interpretationem proferam. Reiectis igitur istis vocibus, ad finem versus undetricesimi interpungendum

esse puto, ut εἰς pendeat a τετραμμένοι, ideoque versus tricesimus pro poëtae nostri consuetudine sententiam antea fusius illustratam breviter et cum vi quadam repetat, quo sequentia facilius annectantur. Itaque participium σπεύδοντες referendum est ad pronomen αὐτοὶ et verbum ὁρμῶσιν, ad infinitivum vero γενέσθαι, qui ab hoc participio pendet, particula ὥςτε subaudienda, ut hic eliciatur sensus: gaudia petentes eaque pro bonis habentes, studio suo efficiunt, ut contraria ipsis accidant.

V. 31. Jam peroratio sequitur e precibus composita. Jovem rursus alloquitur et variis epithetis exornat. Primo donum petens praedicat eum donorum largitorem; de qua re vocabulum πάνδωρος satis antiquum est, legitur enim in epigr. Hom. 7, πότνια γῆ, πάνδωρε, δότειρα μελίφρονος ὄλβου. Etiam κελαινεφής Jupiter apud Homerum appellatur Il. XXI. 520, καδ' δ'ἵζον παρὰ Ζηνὶ κελαινεφέϊ cf. XXII. 177. Quod jam sequitur adjectivum ἀρχικέραυνος, in solis Orphicis obvium, suspicionem movere potest; apud Homerum enim non nisi ἀργικέραυνε legitur e. g. Il. XXII. 177, ubi Athena Jovem alloquitur ὦ πάτερ ἀργικέραυνε, κελαινεφές. At in antiquiore Orphicorum fragmento exstat hoc vocabulum, ἀρχικέραυνος i. e. fulminis dominus apud auctorem librorum de mundo, qui Aristotelis nomine circumferuntur, ubi tamen lectio variat inter γ et χ; Tzetzes quidem ad Lycophr. et Eusebius Praepar., qui eundem versum afferunt, vocem cum γ scriptam exhibent, at Proclus, qui fragmentum illud fere integrum exhibet, scribit χ; praeterea Pseudo-Aristoteles hoc vocabulum per χ scriptum repetit pro ἀρχιγένεθλος, cuius ipsius vocis similitudo et totius fere carminis sensus in Jovis potentia et dominio occupatus suadet, ut ἀρχικέραυνος ab Orpheo, vel quisquis sit carminis auctor, scriptum ponamus; hoc igitur

fragmento antiquitas vocabuli ἀρχικέραυνος satis defensa est. (cf. Gesner ad fragm. VI. v. 9.) Itaque jam liquere puto, poëtam nostrum nullo uti epitheto, quod non ipso sit antiquius, ut ex hac re argumentum desumi non possit, quo ducti Cleanthem esse auctorem negemus.

V. 32. Vocabulum ἀπειροσύνη prodit diligentem Euripidis lectorem, quales fuerunt omnes fere Stoici: e. g. legitur Med. 1093. Hippol. 193. Λυγρῇ Homero usitatissimum, hoc quidem loco noxam et perniciem quandam significare videtur cf. Passow lex. s. h. v. Brunckii conjecturam ῥύοιο mihi non esse probatam textus docet: causam repetas e Buttmanni lexilogo Vol. I. p. 63, ubi et litteram υ per se brevem esse reperies, neque optativi, qualem Brunck hic proposuit, ullum animadvertes exemplum. Etiam hiatum post brevem vocalem quis vituperare possit, quamquam *interpunctione accedente* in legitima caesura apud Homerum Il. I. v. 569 admittitur. Hisce de causis εἴρυσσαι scribendum esse duxi.

V. 33. Omnia huius versus vocabula jam in Homeri carminibus leguntur. Constructio relativi cum imperativo a Matthiaeo §. 477 b. annotata maxime tragicis propria eorum aut aequalem aut imitatorem ostendit. Verbum δίδοναι jam apud Homerum cum infinitivo construitur, ut nostro loco.

V. 34. Vocabulum γνώμη hoc loco non significare sententiam, sed vim cognoscendi cognitionemque atque scientiam, quam quis sibi paravit, nexus verborum ostendit: Deus enim ea nititur. Vocabulum πίσυνος i. e. fretus hoc sensu apud Homerum legitur, idem in Orphicis significat *obediens*, non levissimum argumentum, poëtam no-

strum non Orphicorum esse imitatorem. Si Deus hic cum Justitia mundum administrare dicitur, haec personae naturam accepisse mihi quidem videtur, quae prosopopoeia poëtis in genere usitata hic negari posset, nisi Justitia a tragicis maxime celebrata e. g. Aeschyl. Choeph. 947. Soph. El. 476. Oed. v. 885, ubique Jovis in mundo administrando socia agnosceretur. Haec quoque sententia rursus ad Orpheum auctorem refertur, neque tamen istum, qui diu post Christum natum carmina composuit nobis servata, sed illum, cuius fragmenta tantum exstant non ita multo ante Pindarum, opinor, facta, e quibus haec annotavit Demosthenes adv. Aristog. p. 492. A. — *σεμνὴν Δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾷν.* Orph. Hymn. 61. fragm. XX. Ceterum de hac Dea cf. Joh. Heinr. Voss ad Arat 96—136.

V. 35. Homines a Deo honore afficiuntur, si accipiunt, quod precatus est poëta, intellectum dico et scientiam; Deo autem honorem alium reddere non possunt, nisi grato animo Deum celebrantes.

V. 36. Quemadmodum Jupiter sit celebrandus, poëta noster ipse exemplo suo docuit; celebrationem enim, quam v. 6 promisit, a versu 7 usque ad 30 continuavit.

V. 37 et 38. Omnia hic satis clara esse videntur, de communi enim lege ad versum 24 locuti sumus. Restat fortasse, ut animadvertamus, ipsis Diis Jovem celebrandum proponi; qua de re quod docendum est, jam ad versus 12 et 13 dixi; inde enim patet, innumeros esse Deos Jove inferiores, qui eum celebrare debeant legi eius obedientiam praestantes; quae est optima celebrandi ratio etiam hominibus praescripta. Itaque nullae fere preces homine vel ipso

Christiano digniores cogitari possunt, quam quae a poëta nostro hic funduntur. Nihil enim caduci, nihil jucundi atque dulce petit, sed solum, ut homines ab insipientia liberati et sapientes facti, omnia juste peragendo summum Deum venerentur. Legi igitur Stoicorum Diog. VII. 121, exhibitae εὔξεται ὁ σοφὸς αἰτούμενος τὰ ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν, satisfactum est.

I. LECTIONES PROFESSORUM GYMNASII.

Car. Frider. Hipp, *AA. LL. Magister et Mathes. Prof. P.*

Utroque semestri instantis anni *publice* tradam ***Mathesin puram,*** cujus filum inde resumendum puto, ubi in priore schola Cives discendi finem fecerunt. Quis enim futurus esset illius institutionis fructus, si re bene coepta subito desisterent? Currente rota funis ne eat retro! Addiscent igitur ex *Arithmetica* Progressiones et Logarithmorum usum; ex *Algebra* aequationum solutiones, etiam cubicarum; repetent ex *Geometria* dimensiones planorum et solidorum; adjungent utramque *Trigonometriam,* et sistent denique gradum in *sectionibus coni Apollonicis.* Hos ultra fines progredi, hoc certe tempore, in scholis Gymnasii non licet.

Si qui erunt, qui fundamentis elementorum bene positis ulterius progredi velint ad *calculum differentialem* et *integralem*, eis *privata* opera ne desim, curabo.

Hora his scholis destinata erit VIII—IX *dierum Lunae* et *Martis*.

6

Eadem hora dierum ***Jovis*** et ***Veneris*** constitutum est, publice tradere ***Matheseos applicatae partes mechanicas***, quarum nomina h. l. afferre nil attinet. Hac in re ita versabor, ut ***primum*** de corporibus in genere, eorumque attributis et viribus tum physicis tum chemicis disseram; ***deinde*** de aequilibrio motuque corporum solidorum, liquidorum et aëriformium; ***postremo*** de viribus electricis et magneticis. „Has doctrinas, scripsit olim ***J. A. H. Reimarus***, Gymnasii immortale decus, nostra aetate factas esse tam populares, ut vel mulierculis arrideant, literarumque studiosis earum ignoratio summo dedecori sit.“ Gravius cives moneri non possunt, quid cuique faciendum sit.

Supersunt duae horae dierum ***Mercurii*** et ***Saturni***, quae destinatae sunt ***Geographiae mathematicae***, de qua supra diximus. Diurnum autem docendi tempus erit usque incertum, dum sciero, quid et quota hora agendum sit in Joanneo.

Joannes Christianus Augustus Grohmann, *Dr. et Philos. theoreticae et Eloquentiae Prof. P.*

Aestivi semestris lectionibus
tradam d. IV. h. X—XI ***Logicen*** et ***Metaphysicen***,
d. II. h. X—XI ***Philosophiam practicam generalem***;
Hiberni semestris lectionibus
d. IV. h. X—XI ***Aestheticen et jus naturae***,
d. II. h. X—XI ***Psychologiam***.

J. G. C. Lehmann, *Med. et Phil. Dr. Physic. et Hist. Nat. Prof. P.*

Semestri, quod instat, *aestivo* diebus *Lunae* et *Martis* hor. IX—X, *Jovis* et *Veneris* hor. XI — XII scholas de *Botanice universali* ex meis ipsius schedulis in horto botanico habendas offero: quibus, quantum pro horti nostri opibus fieri potest, singularum simul arborum stirpiumque naturam explicare, et earum partes demonstrare in animum induxi, eas potissimum selecturus species, quae vel leges, quas ipsa natura in formatione plantarum sequitur, luculentissime produnt, vel etiam prae ceteris excellunt, sive singulari quadam structura et mirifica ipsarum forma, sive eximia, quam afferunt, utilitate.

Arborum vero fruticumque flores et frondes, herbarum item integra exempla, quotquot earum alienare licebit, in discentium usum dissecta, quovis *die Mercurii*, ab hora IV inde, cupientibus distribuam.

Omnino ne qua rei herbariae studiosis desit copia scientiae augendae, *singulis Saturni diebus*, hora IV — VII vel VIII, ad stirpes, quae in agris et pratis, in paludibus et sylvis sponte proveniunt, scrutandas et conquirendas, loca urbem circumjacentia comitantibus illis perlustrabo.

Hiberno hujus anni semestri quater per hebdomadem hora XI — XII. *Historiam naturalem* animalium majorum s. mammalium, avium, amphibiorum et piscium, secundum enchiridii Blumenbachiani editionem undecimam (Goetting. 1825) docebo. Atque in his studiis moderandis ita versabor, ut non solum, quae ad *omnem Zoologiam* intelligendam necessaria sunt, praemoneam, sed et longius excurrens ea ubique respiciam, quae ad *medicinae* studium viam praemuniant.

Binis praeterea per hebdomadem *horis* pomeridianis suo tempore definiendis, ea animalia, quae Germaniam inferiorem habitant, sive ad ejus *Faunam* pertinere dicuntur, describam.

II. LECTIONES PROFESSORUM JOANNEI,

quibus suam operam in erudiendis Gymnasii civibus offerunt, his ipsorum verbis indicuntur:

Frid. G. Zimmermann, *Phil. D. Joannei Professor,*

sequenti anno

1) *historiae universalis* eam partem tradet, quae res inde ab initio saeculi XV. ad nostra usque tempora gestas complectitur;

2) *historiam reipublicae Hamburgensis* enarrabit;

3) lectiones habebit *hodegeticas*, quibus juvenes studiosi in probam sanamque *studia academica* tractandi rationem introducantur;

4) *historiam litterariam saec. XVIII.* docebit.

Cornelius Müller, *Phil. D. Joannei Professor,*

utroque semestri anni instantis

1) diebb. *Lunae* et *Mart.* h. XII. *Juvenalis* et *Persii* Satiras interpretabitur, praemissa Satirae Romanae historia.

2) diebb. *Jovis* et *Veneris* h. XII. *Antiquitates Graecas* enarrabit.

3) semel per hebd. Cives Gymnasii, eos maxime, qui studia philologa prae ceteris colenda sibi elegerunt, ad *artem interpretandi* exercebit, ita ut iis selecta *Catulli* et *Tibulli* carmina latino sermone explicanda tradat.

Ernest. Phil. Ludov. Calmberg, *Joannei Professor,*
latine interpretabitur

per aestatem e V. T. *Jobi carmen;*
e N. T. *evangelia Matth., Marci et Lucae;*
per hiemem e V. T. *Jesaiam prophetam;*
e N. T. *evangelium Joannis.*

Nec iis deerit, qui uberiorem et accuratiorem linguae hebraicae cognitionem e lingua arabica, chaldaica, syriaca, aethiopica et persica petere volent.

Franciscus Wolfg. Ad. Ullrich, *Dr. Joannei Professor,*
anno insequenti

1) per semestre aestivum *Aristophanis* Nubes,

2) per semestre hibernum *Aeschyli Agamemnonem* explicabit *quater* per hebd. dieb. Lun. Mart. Jov. Ven. hora III—IV.

III.

Animum si moveri negem insigni liberalitate, qua Vir Summe Venerabilis, E. G. A. *Böckel, SS. Theol. Doctor et Scholarcha*, Gymnasii Cives sacerdotio destinatos ad divinarum rerum scientiam sensumque informare, et sua doctrina illustrare conatus est: peccem in ipsam pietatem ejus auctoritati debitam. Annum jam vires et tempus impendit studiosae juventuti literis excolendae; idem proximo etiam anno operam et studium Gymnasio sponte navare non desinet, id quod *his verbis* benevole significavit:

Anno praeterito Hoseae, Joelis atque Amosi carmina, Jobeida, evangelium Joannis, quatuor denique evangelistarum de suppliciis, obitu, resurrectione et ascensione Jesu Christi narrationes explicui, *εἰςαγωγὴν* quam vocant historico-criticam in N. Test. libros tradidi, juvenesque discendi cupidos non solum in interpretandis psalmis exercui, sed etiam, quo accuratius grammatices Hebraicae praecepta cognoscerent, capita quaedam ex evangelio Matthaei in sermonem Hebraeum convertere jussi, et quae quisque corrigenda mihi tradebat, eruditionis et studiorum specimina diligentissime emendavi. Iisdem fere laboribus, si res tulerit, deinceps vacabo.

Semestri, quod instat, aestivo dd. Merc. et Sat. h. X. matutina adolescentes et psalmos interpretabuntur sermone Latino, et ratione jam significata Hebraice scribere discent; h. XI. epistolas catholicas, h. XII. summa archaeologia ebiblicae capita, h. I. Salomonis quae feruntur sententias exponam.

Hiberno autem *semestri* iisdem diebus et horis in exercitationibus grammatico-philologicis instituendis pergemus, minores Pauli

epistolas et Jesaiae vaticinia interpretabor, εἰςαγωγὴν denique in antiqui foederis libros tradam. Neque iis deero, qui sive Arabicae sive Aramaeis dialectis operam navare velint.

Ceterum ut instauratio Gymnasii nostri, quam quidem pietas erga majores, amor patriae et, nisi omnino exstinctum est, bonarum artium literarumque studium suadet, laboribus nostris intercalaribus mox finem laetum imponat, et optamus, et fore speramus.

Pari animi alacritate, quam V. C. *Christianus Petersen*, Philos. Dr. in erudiendis Gymnasii Civibus adhuc declaravit, persequi non recusat arduum, quod instituit, opus. En scholarum tabulam, quas habiturus est:

Semestri aestivo hujus anni in animo est,

1) continuare exercitationes latine et disserendi et scribendi, h. VIII—IX dierum Merc. et Saturn.

2) interpretari et enarrare Plauti Trinumum, h. IX—X d. Merc. et Saturn.

3) docere historiam philosophiae antiquae h. IX—X dier. Jovis et Veneris.

4) disserere de disciplinarum origine et nexu, sive Encyclopaediam tradere, quam vocant, universalem, h. XI—XII d. Lunae et Martis.

Semestri hiberno, si per rerum humanarum fragilitatem jam nunc promittere licet,

1) exercitationes philologas continuabo.

2) Ciceronis libros de Legibus,

3) Platonis libros de Republica, vel Pindari carmina interpretabor.

4) Mythologiam Graecam docebo.

Si satis magnus convenerit numerus eorum, qui historica via *juris principia* animo imbibere cupiant, iis, sive aestivo sive hiberno sive utroque semestri commodum fuerit, ad ***Institutiones Justiniani*** ratione grammatica et historica interpretandas operam meam spondeo.